

NUMMVS IRENICVS
 CLEMENTIS VIII. PONT. MAX. PACĒ
 cum Cæsare Estense factâ: cusus Anno
 Christi 1598.



Alphonſus Ferrariæ Dux, cum heredem non haberet, jam pridem cum Pontifice & Cardinalium collegio, magnâ vi pecuniæ repræſentatâ egerat, ut Cæſari Eſtenti, fratris ſui filio notho, ſucceſſio dignitatis confirmaretur. Voto ſuo excidens author Cæſari fuerat, ut prius omnia tentaret, quam ditionibus opulentiffimis ſeſe deiſci pateretur. Mortuo itaque Alphonſo pro Duce ſe gerit: & populum in ſua verba adigit: cumque facilè intelligeret à Pontifice ſe interpellatum iri, magnam vim annonæ Ferrariam importat: præſidia diſponit: undique auxilia conquirat. Pontifex de his certior factus, purpuratis rem exponit, qui edicto Cæſarem Romam venire jubent.



Cæſar cum dicto non pareretur, ſed ad vim ſe pararet, opulentiffimâ hæreditate hominis per ſe generoſi ſpiritus augente: Pontifex annua primum ſpiritualia expedit, eumque excommunicationis fulmine percutit: inde exercitum quâ celerrimè cōſcribi mandat. In vicinis Italiæ Principibus varij animorū motus extitère: quibusdâ huic, aliis alteri parti, modò apertè, modò occultè faventibus: tandem verò plærorumque ſtudiis, ad Pontificē juvandum, inclinantibus. Interea Cæſar pecuniâ cum Pontifice decidere tentat: miſſis Romam, qui cum eo tranſigerent Legatis. Verum cum nihil proficeret, ad arma perventum eſt, ſed unus tantum cōſlictus ad Bononiam editus, in quo ex utrâque parte nonnulli, ſed è Pontificiis aliquantò plures cecide-